



Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom. III. post pascha. Euan Modicum & iam non uidebitis me. Iohannis. 16.
Homilia una

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

que possunt etiam si rumpantur neochristiani, huiusmodi ecclesias plures facere. Quinimo si in nostra ecclesia esse cum Christo recusant, oportet sint tantum in ecclesia malignantiū. Quamuis plurimi adhuc supersunt hirci, lupi multi, multiq; dracones, qui ouile hoc impetunt, neq; intrare uolunt, spes tamen bona est, fore ut adhuc omnes Iudæi, Turcæ & pagani ueniant in hoc unum ouile CHRISTI, sicq; impleatur quod prædixit Oseas: Congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter. & ponent sibi unum caput, & ascendent de terra. fiet hoc quidem nimis sero, quia adhuc nulla eius rei similitudo apparet: & fiet tamen, quando Iudæi conuertentur ad uesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Dominus deus noster dignetur nobis gratiam & misericordiam suam conferre, quatenus hic in odore bono & suauitute uiuamus, ut oves placidæ, permaneamus in ouili Christi: tandemq; transacto uitæ huius stadio, per ipsam uerā ianuam CHRISTVM dominum ingredi mereamur uitam æternam, ubi pascua inueniamus felicitatis æternæ, Amen.

DE OFFICIO PASTORIS SI VIS IN
gredi per symbola, quod est facillimum & pulcherrimum, facies hic ex scribentibus, qui hoc tam copiose scripserunt & ampliter, ut nauseam etiam excitare possent, ideo nolimus hæc repetere, sed ad ueteres ablegamus studiosum lectorem.

DOMINICA III.
POST FESTVM PASCHAE,
euangelium Iohannis XVI.



In illo tēpore : Dixit
Iesus discipulis suis :
Modicum & iam non
uidebitis me, & iterum
modicū & uidebitis me,
quia uado ad patrem .
Dixerunt ergo ex disci-
pulis eius adinuicem :
Quid est hoc q̄d dicit
nobis , modicum & nō
uidebitis me, & iterum

modicū & uidebitis me, & quia uado ad patrem?
Dicebant ergo : Quid est hoc quod dicit modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus quia uolebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quia dixi, modicum & non uidebitis me, & iterum modicum, & uidebitis me. Amen amen dico uobis, quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. uos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia uenit hora eius. Cum autem peperit puerū, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

Jeremi. 31.
Jacob. 4.

HOMILIA VNICA.

H 117

Beda.

L Aeta. inquit Beda, domini & saluatoris nostri promissa fratres charissimi læto cordis auditu percipere debemus: sedulaq; intentione persistere, quatenus ad hæc peringere mereamur. Quid enim est quod merito lætius audiatur, quam perueniri posse ad gaudiū, quod nunquam possit auferri: sicut hic dominus discipulis suis promisit, quando eosdem habito illo post ultimam cenam sermone contristauerat, mortem suam & passionem eis pronuncians, simulq; quomodo se unus illorum traditurus esset, statim postea mirissimus dominus inter dolorem & tristitiam, quæ superuentura illis esset, consolatus est eos: & subinde auxilium, gaudium & victoriam promisit, uolens per hoc confirmare animos eorum, pariterq; ipsos aduersus imminens aduersitatem præparare. Ait ergo, Modicum & non uidebitis me. Quæ uerba, ut ait Augustinus ita obscura erant discipulis, antequam

Augustin.

id quod dicit, impletum esset, ut quærentes inter se quid esset quod diceret, omnino se faterentur nescire. Neque id mirum, quædo ea prophetiarum omnium propria conditio est, ut prius impleantur quam intelligantur: nobisq; iam facile intellectu est, quod apostolis difficile & occultum erat. Difficile eis erat, ut ait Cyrillus, siquidem mors iam

Cyrillus.

in ianuis erat. quapropter eum discipuli uidere non poterant, quousq; inferis spoliatis & umbrarum portis perforatis, templum suum suscitasset. Modicum igitur hoc tempus erat, quo dominum iam mortuum & sepulcrum non uiderunt, quem deinde post triduum resurgentem rursus

Malac. 4.

occiderit, aliquandiu non cernitur, donec emeris tandem, denuo se nostris offerat oculis: sic plane sol iustitiæ Christus dominus, cum occidisset morte sua in die parasceues, iterum deinde ortus est die sancto paschæ. Modicum itaque tempus extitit à die cenæ dominicæ usque in diem parasceues quo sepeliebatur, & hinc usq; dum resurgeret, ita nobis iam hoc intellectu facile est, quoniam ex scripturis

Joh. 16.

docemur id omne sic euenisse ut prædixit dominus. Sicut qui hoc etiam sic intelligant, quod discipuli Christi modicum non uiderunt, triduum scilicet istud, quo iacuit in sepulchro: & rursus modicum uiderunt eum, quædo se eis

post resurrectionem diebus quadraginta exhibuit uidentum usque ad ascensionem suam, quando rediit ad patrem. Quæ causa est, cur amplius eum tunc uisuri non essent, nisi quod etiam hodie fit in sacramento eucharistiæ, uel aliàs miraculose, id tamen proprie non fit in uera specie, sed in uelamine & sub hostia plane inuisibiliter. Adhuc aliã expositionem habet Augustinus, intelligitque hoc non de passione Christi & resurrectione, sed ascensione sua & morte nostra. Estque hic plane sensus, Modicum & non uidebitis me. Modicum illud tempus est, quo uiuimus super terram. sane modicum, imò momentum & uix punctum temporis, quo exultat mundus & triumphat, boni uero tristantur & lugent, dicentes cum Dauide: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Tempus breue admodum est, & tamẽ bonis longum nimis uidetur. Modicum ergo iam tempus est quo non uidemus dominum, quia ad patrem ascendit. Et quod addit, iterum modicum & uidebitis me, ad tempus quod mortem nostram secuturum est, pertinet, quod toti ecclesiæ promisit ille, tunc nos uisuros eum, neque amplius interrogaturos: hic quidem tristari nos, sed tunc gauisuros, siquidem tristitia nostra miseri huius conuertenda nobis est in gaudium & lætitiã sempiternã. 2. Deinde iam euangelista commemorat discipulos non intellexisse sermonem Christi in causa autem fuisse immensam istã, quaangebatur, tristitiã, & quod toties modicum illud eis dominus repetiisset, dixerat enim, Filii, adhuc modicum uobiscum sum, & iterum, Modicum siue pusillum & non uidebit me mundus, atque deinceps rursus, iam non multa loquar uobiscum, & iam denuo, Modicum & non uidebitis me. Hinc propemodum confusi & errabundi facti sunt, & occupati aliàs mœnore atque angustia mentis, nunc uel maxime premebantur ex eo, unde plus solatii ac consolationis accipere potuissent, si intellexissent. Nam quãuis molestum erat, quod eum uisuri non essent, solatium tamẽ inde cepissent, quod post modicum temporis ipsum denuo se conspecturos sperarent. Graue & molestum eis erat, quod dicebat dominus de passione & morte sua, sed gaudium & solatio plenum, quod adiungebat. Quia uado ad patrem, per hoc insinuare uolens, se morte sua non periturum, sed abiturum ad patrem, sicque a morte transiturum ad uitam.

August.

Psalm.

Johã. 13.

Johã. 14.

Johã. 16.

Chrysostr.

- ¶ Verum isti hoc non intellexerunt, eo maxime, quod inter se omnes quærebant quid hoc esset quod dixerat. dubitabant enim partim ex tristitia & mœrore, partim ex fidei imperfectione, persuaderi enim & adduci facile non poterant, ut resurrectionem illius crederent etiam cum iam resurrexisset, sicut incredulitatem exprobrauit eis.
- Marci. 16.** quanto minus crediderunt eam adhuc in cœna? Non poterunt ergo hoc uerbū & similes quosdā Christi sermōes intelligere, quā nihil in ihs abditū inuestigabant, sed uulgatō tēm sensui insistebāt. Credebāt certū eē illud Sapiētis, ut ē in suo sensu uerissimū, neminē unquā cognitū eē, q̄ sit re uersus ab inferis. Sunt etiam qui purant apostolos, si non omnes, at aliquot eorum credidisse Christū non moriturum, ex eo quod Christus dixerat, eum qui sermones suos seruaret, mortem non gustaturum in æternū. Quam opinionem falso cōceptā iudæi quoq; habuerūt, quando ad dominum dixerunt: Nos audiuimus ex lege quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis, oportet ex altari filium hominis? Ita discipuli quoq; cogitabāt qdē magnum & eximium aliquid de Christo, non tamen credebant eum tam turpi morte moriturū, rursusq; dehinc tanta gloria & maiestate resurrecturum. Tantum apud se cogitabant eum sine morte transturum ad patrem, sicut
- Gene. 3.** Enoch de quo scriptum est, quia ambulauit cū deo, & non apparuit, quia tulit eum deus: uel ut **Elias**, qui curru igneo uectus, cum turbine raptus est in cælum. Ad eundem plane modum putabant Christum quoq; abiturum ad patrem, neq; poterant aliqua ratione apud se modum mortis simul ignominiosæ & resurrectionis gloriosæ quēpiā inuenire, quamobrem & dicebant inter se, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non uidebitis me, & iterū
- Chrylost.** modicum &c. nescimus quid loquit. Chrylostomus quærit hic quare non intellexerint. Et ipse sibi responderet, factum id esse uel propter tristitiam, uel uerborum obscuritatem, ut contraria locutū arbitrarentur. Si uidebimus te, inquit, quō uadis? si uadis, quem uidebimus?
- Cyillus.** ¶ Interrogans autem dominus discipulos se iam iam interrogaturos, quidnam sibi uoluisset sermo quem dixerat, præuenit eorum interrogationem opportunissime,

ostendens se corda hominum ut deum cognoscere: quoni-
am id deo proprium est, iuxta illud Job, scio domine quia
omnia potes, & nulla te latet cogitatio. **Quis est iste qui** Job. 4. 2.
celat consiliū absq; scientia? Quomodo deus ipse loquēs
ad Samuelem, dixit: Deus intuetur cor. Ergo & hic Chri- 1. Reg. 16.
stus, ut uerus deus interrogationem discipulorum præue-
niens, dixit: De hoc quæritis inter uos, quia dixi, modicū
& non uidebitis &c. Amen amen dico uobis, quia plora-
bitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit. Id exponēs
Augustinus dicit, Discipuli tristabantur, & dolebant ex
passione Christi, audentes eum à Iudeis captū, percussum, Augustin.
condemnatum, & tandem crucifixum iri, ea tamen tristi- Cyrilus.
tia statim uersa est gaudium post resurrectionē illius. Per
mundum autem, omnes intelliguntur aduersarij Christi,
qui plurimum gauisi sunt se furore suo poritos, illū mor-
ti adiudicatū in crucē suffixisse, ibiq; cōrigisse sibi, ut san-
nis, ludibrijs & opprobrijs eū lacerarent. Quamuis quod Matth. 27
hic de mundo dicitur, potest etiam non absurde de mali-
gnitate in qua mūdus positus est, intelligi, sicut Iacobus
dicit: Quisquis amicus esse uult mūdi huius, inimicus dei
constituitur. Gaudet autem hic mundus etiam de peruer- Jacob. 4
sitate sua, quomodo sapiens dicit esse quosdam, qui gau-
deant & gloriantur cum male fecerint, & exultent in re- Prou. 2
bus pessimis.

¶ Suntq; sine dubio uerba hæc intelligenda, ut ea expo-
suit Augustinus: quia omnis ista apostolorū tristitia uer-
sa est in immensum gaudium tunc, cum conspicati sunt
gloriam dominicæ resurrectionis, potentiam admirandæ
ascensionis & consolationem paracliti spiritus sancti à pa-
tre missi. Hoc tamen & ipsorum & totius ecclesiæ statui
congruit. Cuncti fideles per lachrymas pressurasq; præ- Beda.
sentes ad gaudia æterna peruenire contendunt. illi enim
quamprimum conspectus uitæ huius cessarit, & militia ab-
soluta fuerit, mercedem accipiet beatitudinis æternæ, sic
ut David canit: Qui seminant in lachrymis, in exultatiōe
metent. Mali autem lætantur, quia mundus exultat, & p- Psalm. 125
cipue persecutores martyrum, qui gauisi sunt morte in-
noxia iustorū. Deinceps tamē ministris dei coronatis in
æterna felicitate, tyranni & persecutores eorundem pœ

nam susceperunt suae truculentiae atque peruersitatis. sicque impletum est uerbum illud Christi quod hic praedixerat, & illud quod iam olim instinctu spiritus sancti locutus est Isaias: Ecce serui mei comedent, & uos esurietis: ecce serui mei bibent, & uos sitietis: ecce serui mei laetabuntur & uos confundemini: ecce serui mei laudabunt praerexultatione cordis, & uos clamabitis praedolore cordis, & praer contritione spiritus eiulabitis.

Isaię. 65

4. ¶ Discrimen hic patres ostendere solent gaudij bonorum a malis, idque multiplex, nos ea tantum breuiter commemoremus, quae ad hoc pertinent euangelium. primo laetitia mundi huius & uana est, & multum temeraria, iuxta illud sapientis, Dixi in corde meo, Vadam & affluam delictis, & fruam bonis. & uidi quod hoc quicquid esset uanitas. Risum reputaui errorē, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?

Eccles. 2

2. ¶ Turpe quoque est gaudium mundi huius, quia ut plurimum de rebus uanis & turpibus conceptum, teste sapiente, neque uitam neque nuptias mundas iam custodiunt, simile est quod Iohannes ait homines mundanos bibere uinum turpitudinis.

Sapient. 14
Apoc. 17

3. ¶ Neque uero pura est laetitia mundi, sed plerumque mixtam coniunctamque habet tristitiam, aut certe in merorem desinit, quo maxime seducuntur homines in mundo, ut ait Salomon: Risus dolore miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat. Aut non ira fieri solet, cum occupati sunt homines in uoluptate mundi & omnibus leuitatibus, ut plurimum rixae interueniunt, iurgia, aut aliud consimile mali generis. Plane mihi qui solas querit uoluptates mundi & carnis, similis esse uideretur ei, qui per rosas & lilia abduceretur ad crucem: multamque caperet ex floribus illis delectationem, non expendens quae iam sibi imminet supplicium mortis.

Prover. 14

4. ¶ Quid quod instabilis & inconstans est omnis ista mundi laetitia, dum & ipsa mundo & uicissim sibi mundus desinit, dicente Iob, Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt: Ita fiet ut cor eorum conuertatur in tristitiam & merorem, sicut dominus dicit per prophetam: Conuertite festiuitates uestras in luctum, & omnia cantica uestra in plangitum. 1. E diverso gaudium sanctorum uer-

Job. 41

Amos. 8

est quia de ueris bonis susceptum. de bonis scilicet regni
 celorum, sicut Paulus ait: Regnum dei nō est esca & po
 tus sed iustitia, pax & gaudium in spiritu sancto. **Dein.** **Sapient. 7.**
 deidem illud pulchrum est, quia de amēnissimis bonis
 uirtutum: quod artēdens sapiens quoq; lætatus, inquit,
 sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia,
 & honorabam quia bonos: omnium mater est. **3.** Ad hęc
 putam quoq; est, sicut testatur Salomō: Cor quod nouit
 amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius nō miscebitur
 extraneus. **4.** At omnia hæc superat, q̄ perpetuum furu-
 rum est gaudium illud, expers omnis doloris. & immune
 ab omni tristitia. quia absterget deus omne lachrymam
 ab oculis sanctos, & amplius non erit neq; luctus, neque
 clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora trāserunt.
 Possunt hæc omnia ad longū declarari, & ad aliquot in-
 tēgras homilias extendi. nos breuitati studentes, ijs sup-
 sedemus. Tu si plura uoles, uide quædā diffuse & ampliss.
 in paraldo posit uereres. **5.** Parabolam porro adnectit do-
 minus, qua plerunq; in calamitatibus usi sunt prophetæ:
 sic Dauid lugens inquit, Ibi dolores ut parturientis. Et isa-
 ias, Toriones & dolores tenebunt, q̄si parturientes dole-
 bunt. Ieremias quoq; Quō, inquit, contremuisti, cum ue-
 nissent tibi dolores q̄si parturientis? Mulier fugitura &
 exhorrescens dolorē parturiginis, nunq̄ perueniret ad
 lætissimam partum, neq; fructum ex fœtu proleq; noua per-
 ciperet. Sic quoq; uobis fratres eueniet, quia post dolorē
 & tristitiā gaudebitis tandē, & gaudium uestrum nemo
 tollet a uobis Augustinus etiam hoc expēdit, quod gau-
 dium tunc magis esse consuevit, quando non puella, sed
 puer nascitur. Durum quidem hoc & molestum mulieri-
 bus, quod nulla mulier mater fieri potest sine maximo
 dolore. quando igitur illi imminet pariendi tempus, tri-
 statur & dolet, q̄ ea hora sit maledictiōis, q̄ dñs dixit ad
 Tuam, In dolore paries filios tuos. Beda mystice exponit
 hoc de scā ecclesia, q̄ mater est ob multitudinem bonos
 opes, subinde paries deo filios spirituales. & q̄diu in mun-
 do spūalium uirtutē pfectibus insisit, nunq̄ mūdi tentat
 onibus exerceri desistit; & cū deuictō laborū certamine ad
 palmā peruenerit, iam nō meminit pressuræ præcedētis.

Roma. 140

Sapient. 7

Proue. 14

Apoc. 11

Chryso.

Psalm. 47

Isa. 13

Jeremi. 22

Cyllus.

Augustin.

Gene. 3

Beda.

propter gaudium perceptæ retributionis : nato in super
sibi filio aliquo gratulatur, & exultas dicit cum Paulo: Nō
sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram glo
riam quæ reuelabitur in nobis. sic gaudet ecclesia, cum fi
lium enixa est in uitam æternam.

Beda.

¶ Eo facit & illud, quod dies sanctorum, quibus pro Chri
sto passi sunt & mortui, natales dicuntur, quoniam in illis
nati sunt in regnum cælorum. Et sicut infans uascitur,
dum prodit ex utero matris ueniens in hanc lucem: ita
nasci quoque dicitur, qui est uinculis carnis liberatur simul
& exaltatur in lucem æternam. Quid quod nobilior longeque
eminentior est natiuitas, qua quis nascitur in cælum, quã
ea qua miseri homines nascuntur in terram, malorum
omnium cogeriem? Quo autem modo ecclesia filios pari
at, intellectu facilimum est. parit enim eos in sacramentis,
& præcipue in baptismo & pœnitentia. parit in doctori
bus & prædicatoribus, sicut Paulus ad Galatas ait: Filii
mei, quos iterum parturio, donec formetur in uobis Chri
stus. Parit illa etiam in ijs qui opera bona faciunt, & qui
bene ac pie moriuntur. In omnibus ijs dolores magnos su
stinet ecclesia, dum parit. Mitto quæ in hoc adduci possunt
pene innumera studio breuitatis.

Gal. 4

6. ¶ Parabolam quam induxit Christus, ipse etiam in
terpretatur, dicens ad discipulos suos: Ita & uos nunc qui
dem tristitiam habetis, sed iterum uidebo uos, & gaude
bit cor uestrum. Id facile intelligi potest de apostolis, qui
contristati plurimum sunt, Christo passo, mortuo & se
pulto: uiso autem eodem post resurrectionem, gauisi plu
rimum sunt, & non fuit qui gaudium istud tollere ab eis
potuerit. Sed audio quendam hic contradicentem, quoniam gau
dium istud in die paschæ, ascensionis & pentecostes conce
ptum, ablatum sit apostolis per persecutores, quando pro
nomine Christi grauissima supplicia & acerbissimas susti
nuerunt persecutiones. Huic non ego, sed Beda responde
at, dicens: Et si postmodum persecutiones pro Christi no
mine ac tormenta passi sunt, spe tamen resurrectionis &
uisionis illius accensi, libenter quoque aduersa ferebant, sic
ut sanctus Iacobus dicit: Fratres, pro magno gaudio du
cite, si tentationes incideritis uarias. Petrus & Iohannes

Iohan. 20.

Beda.

**Jacob. 1
Actu. 5**

ut sanctus Iacobus dicit: Fratres, pro magno gaudio du
cite, si tentationes incideritis uarias. Petrus & Iohannes

eum cæsi essent à principibus sacerdotum, cū magno gaudio abierunt à conspectu concilij, gratias agentes quod digni habiti essent, qui pro nomine Iesu contumeliam patere-
Actuū. 5.
 rent. Usque adeo nemo gaudium illis ademit, quia cum omnia illa pro **CHRISTO** paterentur, meruerunt cum Christo regnare æternaliter. Interim istud quoque in augmentum gratiæ & donationis dei cessit illis, de quo certi iam erant: quapropter non potuit eis quisquam auferre gaudium quod habebant, neque per quācunque tribulationem, neque in persecutione, neque per gaudiū, ignē
1. Petri. 2.
 aut flagella & uerbera. Sic Petrus ait, Modicum nunc si oportet contristari in varijs tribulationibus, ut probatio uestræ fidei multo preciosior sit auro, quod per ignē probat. Vt ergo tyranni & persecutores sanctos dei deriserint, rati **CHRISTVM** eos dereliquisse, ipsi tamen certi semper fuere **CHRISTVM** rursum eos uisurum, & tunc corda eorum maxima lætitia affecturum. Legimus
S. Anto.
 sanctum Antonium aliquando grauius tentatum & afflictum esse à dæmonibus: adeo ut eum penè exanimem relinquerent: & tunc uiso sibi domino dixisse Antonium: Domine, ubi tu paulo ante fueras? & **CHRISTVM** respondisse, Ego hic aderam, certaminis & conflictus tui sedulus spectator. Et hoc nimirum gaudium extitit, quod ab apostolis & sanctis dei auferri non potuit. Quis autem hic desperet, quando etiam carbones ardentes, rosas & rorem
Augustin.
 ipsum reputauit Laurentius dum ureretur? Et bene gaudiū illud tollere ab eis nemo potuit, quādo istud gaudiū
Isaie. 35
CHRISTVS ipse fuit, qui iam tum moriturus amplius nō erat. Atq; inter sanctos dei, gaudium crescit & exultatio: dolor uero & gemitus procul discēdet, hic partim per gratiam, illic uero perfecte per gloriā felicitatis æternæ. quam nobis omnipotēs & misericors deus donare dignetur post hanc uitam.
 Amen.